

Habentur igitur alia media, quibus adhibitis, facilius cuticula aufertur, ut monstrari aliis possit. Ignem luculentum usurpare, suadet *Riolanus*, atq; candelam admovere ardentem, ut ustulata vi ignis cuticula velut in pustulis abscedat: Quod satis commodè fieri potest; nam videmus etiam in exustionibus à pulvere pyrio, ignis flammâ, notabilem haud rarò cuticulæ portionem detrahi.

Alio modo peragi potest aquâ fervente affusâ, quæ epidermida secedere facit, eamque à cute liberat, quod longè commodissimum. Vel etiam pars cutis resectæ in aquam demergatur bullientem, & postea scalpelli inversi mucrone cuticula deradatur; sic citius voti fiet compos.

Tandem & acres ac erodentes succi idem præstant, veluti in ulceribus ab acris humoribus ortis, ut & aliis tumoribus epidermis à cute avellitur: Idem quoq; accidit, dum cutis instar corii præparatur, ubi maximas partes, imò integram cuticulam demi posse, observavi: nam alumen & sal, quæ in præparatione adhibentur, magnâ erodendi vi prædita sunt. Verum istud fortassis longius temporis spatium postulabit.

Modis cuticulam separandi demonstratis ad cutem proximè huic substratam accedo, si pauca de umbilico prælibavero; ab hoc enim exordium capiunt Anatomici omnes, atq; in dissectione abdominis relicta illius tractatio studiose tenenda; hinc circa illum quædam ante dissectionem cutis prænotanda.

UMBI-